


De la part de M. le Blond R. Dore du Texte

CONCLUSIONES PHILOSOPHIÆ.

Propugnabuntur ab ALBINO BRILLON DE JOUY,
Parisiæ, die Lunæ vigesimâ-quintâ Julii, anno Domini
1707, à tertiâ ad vesperam.

PRO LAUREA ARTIUM.

H. J. r. f2.
(12.)



*Arbiter erit ÆGIDIUS LE BLOND; Philosophia
Professor Emeritus.*


IN MARCHIANO.

CONCULUS

PHILLOSOPHIA

Tractatus de Albinis Brillon de Jouv.
Tullius, de Iulio videri, et de Domini
et de la Jouv.

THE LAUREA ARTIUM



LIBRARIUS DE BLOIS
P. de la Jouv.

IN MARCIANO



B. Picart invenit et sculpsit a^{no} 1707.

In multitudine Separavit eos et immutavit vias eorum. Ecclesiasti. C. 33. V. 11.

CONCLUSIONES

PHILOSOPHIÆ.

EX PROOEMIO.



OLA sapientia hominem facit & servat beatum. Frustra illam quærunt qui cœca tricandi libidine perciti, neglectis rebus de vocibus inter se digladiantur. Illam suis foribus assidentem inveniet qui in hoc omnis est, ut lucidis eorum quæ sunt ideis informatus judicet, ratiocinetur, ordinet, & nihil agat in omni vita præter id quod neglecto perturbationum impetu hic & nunc judicatur optimum. Multa scitu digna invenerunt majores, plura retexit melior ætatis nostræ fortuna. Suppetit nobis Philosophia Græca locupletior. Rectè definitur à Cicerone; optimè dividitur à Baconio. Similis est arbori, cujus truncus est Metaphysica, disciplinæ inferiores totidem rami. A trunco juvat ordiri.

EX METAPHYSICA.

I.

QUI prima rerum & modorum principia meditatur, hic sibi scientiam generalem parat. Humanæ cognitionis principia sunt primæ cogitandorum notiones, quarum evidentia nititur omne philosophandi opus. Ex his varia sobolescent axiomata, quorum alia apud veteres, alia apud recentiores Philosophos commendantur; nullum est ad probandum isto efficacius; *Quidquid in clara & distincta subjecti thematis idea continetur, de eo potest affirmari.* Qui Philosophi personam sustinet, ne tam aliorum scripta, quam naturam sui ipsius interpretem auscultet, nec præposteram voveat antiquitatis reverentiam, nec cæco pruriat amore novitatis, neglectoque præcipitationis & præjudiciorum impetu ad philosophandum aggrediatur.

II.

EX idearum discrimine peti debent cogitandorum discrimina. Quidquid cogitatur, vel est res, vel rei modus. Res omnino duplex, nempe mens, & corpus. Illa cogitationis, hoc trinæ dimensionis est particeps. Formæ res inter & modos mediæ sunt Arabum commenta; Gassendi vacuum locus proinde & tempus inane figmentum. Impia ut Epicuri, sic Spinosæ de utraque natura opinio. Id cujus habetur idea propria, est aut esse potest. Idcirco res fieri possunt, quia Deus est omnipotens; æternæ ergo rerum naturæ somniantis animi deliria sunt. Nihilum non potest esse rei causa. Modus alius mentis, alius corporis; hinc duo primæ Philosophiæ rami, Theologia naturalis, & Physica.

EX THEOLOGIA NATURALI.

I.

QUI à communibus ad proprias ideas progreditur, eam habebit obviam quæ manu ipsa formatoris singulis hominum mentibus insculpta fuit: hæc non minus quam materia suis affecta modis Deum demonstrat adversus Atheos. Supremus hic opifex spiritus est à seipso existens; ergo unus, infinitus, immensus, æternus, immutabilis, liber, fallere & falli nescius, omnia creat, conservat, regit & movet. Majestatis divinæ secreta scrutari nefas. An igitur res à Deo condita possit esse æterna, infinita, immensa, creatrix, uno verbo quid Deus possit vel non possit? nescio. Finitæ mentis est infinitum comprehendere non posse. Si plura de Deo scire velis, Deum adora, file & stupe, sic sapias.

EX THEOLOGIA NATURALI.

I I.

INTER effecta Dei nullum est humana mente divinius. Qui in penetralia mentis descendit, illicò conscius evadit suæ mentis. Hanc qui negat, asserit. Res est cogitationis particeps, regendo corpori divinitus infusa. Eam adversus impium Epicureorum gregem demonstramus immortalem. Veritas hæc ex principiis Ethicæ declaratur. His argumentis coronidem imponit Dei testantis autoritas. Mens humana unà cum semine non traducitur à parentibus in liberos: ex uno corpore non migrat in aliud; præsertim sedet in cerebro, sed quo in cerebri tractu nondum liquet. Hujus cum corpore communio in mutua versatur actione. Non videtur in omnibus æqualis. Intellectu & voluntate pollet. Qui has cogitationes diligenter excolit, Logicam & Moralem assequitur.

EX LOGICA.

I.

TUENDIS Philosophiæ conclusionibus impar est omnino qui Logices præsidio caret. Totum philosophandi artificium ex idearum animadversione pendet. Præcipuus Logici labor in has tractandas conferetur. Idearum vitia sunt obscuritas & confusio, quibus occurrit sedula mentis attentio. Attendes ad idearum indolem, quæ nec in spectris Epicuri, nec in speciebus quas cudere falsò creditur intellectus agens, nec in rata portione divinæ extensionis, sed in ipso lumine naturali, aut in vario hujus luminis modo consistit. In earum originem intueri, nec enim omnis ortum habet à sensibus: intelligit mens quod imaginari nequit. Res tamen sensilis idearum est occasio. Qui caret organo sensifero æternum carebit idea, quæ eodem interjecto hauriri solet.

I I.

EX præeuntibus ideis fertur judicium. Mens judicando agit, patitur intelligendo. Vis sanam de subiecta materia ferre sententiam, ideas inspicere. Ne præcipitet judicaturus. Deponat errores & vitia, quæ penè cum lacte nutriticis fugimus. Judicium intellectus est & voluntatis. Optima erit rationatio, in qua duo præmittes judicia, quorum altero contineatur, altero contenta probetur conclusio. Hac lege stant cæteræ. Nec te Philosophantem deferet facundia, nec ordo dilucidus, si in hoc sis ut rem maturè provideas. Provisam rem verba sequentur non invita. Diligenter attendas ad dictionis ambiguitatem, quæ lectorem & auditorem varios inducit in errores.

E X M O R A L I.

I.

NIHIL tibi proderunt Logices præcepta, si optimis vivendi legibus mores informare neglexeris. Initium sapientiæ est Dei timor & amor. Inquietum est cor nostrum donec in eo quiescat. Nihil igitur morantibus perturbationum illecebris in Deo uno felicitatem quæres & invenies. Non alio quam tramite virtutis ad illam itur. Virtutis laus à libero petitur arbitrio, cujus ita conscii sumus, ut, qui illud mente negat, tum ipsum experiatur. Libertas est voluntas sui domina. Aliud est liberum, aliud voluntarium; utrique nocet ignoratio. Stat utrumque cum animi affectibus. Virtus studii & diligentiae partus est, soliusque voluntatis modus. Nectuntur virtutes, si sint adultæ. Virtute abutitur nemo. Nulla est actio humana indifferens. Non licet utendis frui, nec fruendis uti.

I I.

TOTIUS vitæ seriem ordinat prudentia; voluptates gustus & tactus moderatur temperantia. Variæ sunt pro varia hominum indole frugalitatis leges. Ex paucis tamen parabilique cibo majorem expectes, quam ex lautis dapibus animi corporisque sanitatem. Frugalitas & continentia firmissimi sunt venturæ senectutis scipiones. Circa martia mortis pericula versatur fortitudo. Vir fortis se ipsum non occidet, nec duello confliget interdicto. Justitia est firma constansque voluntas reddendi unicuique quod suum est. Judex secundum allegata & probata testium sententiam feret, vel adversus eum quem privatim novit infontem. Amicitia sola virtute stat; ne illi sis amicus, qui turpis introrsum, speciosâ tantum pelle decorus est.

I I I.

IN eligendo vitæ statu unum ferè caput est, ut quisque genium norit, nihil repugnante natura adorsus. Conjugium humano generi, non cuivis homini necessarium; in delectu conjugis habenda est ratio imprimis virtutis. Vir non habeat plures uxores: nefas est abortum procurare, sicut & mutilum foetum interficere. Educatio publica privata est anteponenda. Non decet omnia omnibus esse communia. Opes acquirantur via legitima; conserventur sine avaritia: damnandum fœnus quod contrà patrias leges exercetur. Præstat Rempublicam optimo Principe quam optimis legibus contineri. Regnet vir præ fœmina. Electioni præstat principatûs successio. In suscipiendo bello absit temeritas & injustitia: finis belli pax esto.

I.

QUI ad evolvenda naturæ arcana purum erroris animum appellit, vana imprimis subruet idola formarum, quæ nihil attinent ad intelligendas Mechanicæ leges quibus stat hic aspectabilis mundus. Sedulus explorabit quibus ex principiis coaluerit elegans hujus machinæ structura. Ea ponet sagax naturæ venator quæ & simpliciora sint & explicandis naturæ Phœnomenis accommodatiora. Inter innumerabiles modos quibus tanti operis moles elaborari potuit à Deo, liceat hunc præ cæteris eligere. Principio Deus rudem indigestamque materiam traxit è facundo suæ virtutis sinu; hæc scissilis non est in atomos. Vacuolis non interrumpuntur ejus moleculæ; hæ variis configuratæ formis mundi concentum exhibent. Primæ corporum formæ sunt figura, quies & motus.

I I.

FIGURA est corpus ipsum quatenus undequaque circumscribitur. Alia est rotunda, alia angulata; illa unius, hæc multiplicis est generis; magna utriusque virtus in mutandis naturæ & artis effectibus. Quies est ipsum corpus quatenus sua extremitate extremitatem tangit æqualem. Tantumdemi actionis ad quietem, quantum ad motum requiritur: non alio quam quiete vinculo cohærent duri corporis partes. Motus est ipsum corpus quatenus sua extremitate extremitatem tangit majorem. A Deo uno habet corpus ut primum moveatur. Sunt certæ motuum leges, juxta quas incipit, progreditur & desinit motus: Sic incipit, ut corpus quantum dat, tantumdemi sui motus amittat; sic progreditur, ut corpus quoad potest rectum iter insistat. Corporis unius in aliud incurrentis motus variè inflectitur, prout huic variè obsistitur.

I I I.

VARIÆ sunt percussionum leges, si corpus obvium quietum fuerit, sed corpore incurrente majus, quantalibet velocitate hoc in illud impingatur; quod quiescit, manebit immotum. Nullus fit in hoc orbe motus, quin ibidem fiat motorum corporum circuitus. Nullus ad quietem tendit motus. Corpus quod semel movetur, æternum movebitur, donec obvio corpore consistat. Quantitas motus eadem est hodie quæ fuit ab initio; æstimatur ex mole & velocitate mobilis. Inflexio motus ad naturæ varietatem non parum conducit. Materia juxta prædictas leges itu & circuitu affecta primas suscepit elementorum formas. Tria sunt hujus mundi elementa; primum in sole & stellis fixis, secundum in cœlo, tertium in planetis & cometis regnat.

EX PHYSICA.

IV.

TRIPPLICIS ergo generis corpora continentur in universo; lucida, perspicua & opaca. Quem situm servant vix consentiunt Astronomi. Ptolemeus rationi & recentiorum experimentis adversatur. Rationem lædit Ticho, dum Veneris & Mercurii phasibus satisfacit. Cartesius nec verius quàm Ticho, nec curiosius quàm Copernicus quietem terræ restituit, lucidiorem tenet ordinem Copernicus. Liceat ergo systema hujus ut hypothesim propugnare. Mundus hic duas tribuitur in partes, quarum altera major, altera minor. Major est spatium illud immenso simile, in quo micant stellæ fixæ. Quo usque pateat quis novit? Minor dicitur generalis noster vortex, cujus area dicitur cœlum, nempe corpus fluidum, diaphanum, ortui & interitui obnoxium.

V.

IN centro illius areæ girat Sol. Ex macularum solarium motu hunc circuitum colligunt Astronomi: quo pacto formentur maculæ roganti aperiemus. Sol girando nititur à centro sui motûs ad circumfusas extremitates recedere, globulosque cœlestes recedendo premit; unde lumen nempe motus secundi elementi ortus à primo, quo tertium redditur aspectabile. Ex hac luminis idea sequuntur ejus Phœnomena. Parva scintilla ingentes campos illustrat; lux undique diffunditur, rectis lineis vel momento transmittitur. Vires ejus eundo minuuntur. Lumen aliud reflexum, aliud refractum. Illius scientia dicitur catoptrica, cujus principium in eo est, ut anguli reflexionis & incidentiæ sint æquales.

VI.

LUMEN refractum meditatur Dioptrica. Lumen in aqua, vitro & crystallo facilius quàm in aere transmittitur; hinc dum ex hoc in illa transit; refringitur ad perpendicularum. Color lumen est modificatum. In cœlo sustinentur & moventur circa Solem Planetæ; quo propius accedunt ad Solem, eò velocius suas periodos absolvunt: Nulli nos propius spectant quàm luna & terra. Vortice telluris abripitur luna, quæ ovatum potius quàm rotundum circuitum describit. Dum motu diurno, annuo & magnetico infra eam cietur terra, diversæ fiunt utriusque conjunctiones sive per diem, sive per mensem, sive per annum; undè exundatio maritima. Terra corpus est quod in centro peculiaris hujus vorticis solidatum eo quo circumfunditur cœlo; unà cum aere & aqua formatur in globum.

E X P H Y S I C A.

V I I.

TERRÆ globus instar cerasi vel juglandis; tres in regiones distinguitur. Telluris superficies ubique potest habitari, non minus sub torrida quàm sub frigidis Zonis: Hinc Antipodes, Antoëci, Perioëci, Amphiscii, Hetheroscii, Periscii. A diurna ejus circa proprium axem revolutione petuntur diei & noctis vices, quarum inæquabilitatem penes variam Sphæræ positionem æstimabis, prout stata periodo, nunc hac; nunc illac volvitur circa Solem, ab hoc accipit luminis radios, nunc rectos, nunc obliquos, undè tempestates anni. Terra est quidam ingens magnes qui ab uno ad oppositum polum striatis materiæ columellis pervius; his dirigitur ad Septentriones & Austrum. sic disponuntur aer, aqua & terra, ut hæc centrum occupet.

V I I I.

MULTIPLEX est cœli in globum terraqueum actio. Cœlum patris, terra matris instar se habet. Dum cœlestis spiritus particulas terrestres ad omnem agitat loci differentiam, liquores facit quos expurgat, pellucidos reddit, eorumque guttas in aere labentes rotundat. Si à recto deflectat itinere, & insensiles ramulos agat in orbem, statim nascitur calor, qui profundius penetrat quàm lumen. Intellecto calore frigus comprehendes; frigore densantur & rarefcunt corpora. Dum atmospheram circumagit cœlum, nititur hoc quantum potest lineam circuli tangentem describere; inde gravitas corporum, quæ nec cylindris liquidi in quo natat tellus, nec effluviis ejusdem magneticis accepta referri debet.

I X.

VIS elastica cœlo intus agenti debetur. Media telluris regio soli primo elemento pervia variis perforatur meatibus, qui vel ita recti sunt, ut primum elementum his recta fluens, recta pariter quiescat, vel ita sunt obliqui ut primum elementum undarum more modò in unam, modò in alteram partem vertendo quiescat, unde rami flexibiles; amborum autem pro diversis meatuum figuris diversa sunt genera. Inflexibiles vel sunt multiformes, undè terra exterior; vel unius modi, qui si striarum instar torquentur, adest corpus magneticum; si porrigantur uno tenore, habetur sal. Flexibiles iterum vel sunt multiformes, vel unius modi; si multiformes, vel instar capillorum incomptorum, longiores sunt, ex quibus oleum: vel instar villorum lanæ breviores, ex quibus aer.

X.

SI ramuli flexibiles sunt unius modi & instar anguillarum lubrici, ex iis formatur aqua. Horum omnium mixtura & crasi formata sunt meteororum & fossilium rudimenta, imò prima plantarum & animalium germina. Si ramuli terrestres solo primo elemento circumfusi vim ejus omnem & impetum sequantur, excitant ignem mixtorum omnium liquidissimum: generatur duriorum corporum inflictu atque tritu, radiorum solis coalitu, & quorundam liquorum mixtura: quo pacto plura per sæcula viguerit inextinctus ex nostro systemate inferes. Stupenda ignis effecta, terræ tremores excitat, cineres liquefacit, ex his fluit vitrum. Lacryma Bataviæ nil habet incomprehensibile.

X I.

COLUMELLÆ striatæ corporis magnetici ab uno ad alterum terræ polum parallelis meatibus progressæ, ad locum quem primò subierant similiter progressuræ revertuntur. Dum in magnetis & ferri meatus jam factos, & suæ figuræ aptatos incurrunt, peculiarem efficiunt vorticem, in quo dum occurrunt ferrum & magnes, mutuos ruunt in amplexus. Si magnetem inter & ferrum huic jungendum una aut altera ferri lamina interponatur, major erit ferri magnetisque cohæsiō. Et brevissimo tempore & absque ullo magnetis damno vis magnetica ferro communicatur. Acus versatilis quam tetigit magnes maximi est in longinquis navigationibus momenti.

X I I.

SAL est dura columellarum levium congeries, quæ plicatilibus aquæ alteriusve humoris partibus interrupta dissolvitur. Ab exsolutis salibus petenda maris falsugo. Varia sunt genera salium. Marinum ex particulis instar cylindrorum æquatis compingitur: nitrum ex acuminatis: alumen ex octohædricis. Vitriolum, ex iis quæ instar bipennium secant, coalescit; hinc varia salis effecta. Mollis ramulorum mutuò implexorum congeries quæ liquari potest & inflammari, sortitur olei proprietates. Sales volatiles olei ramulis infixi durescunt in sulphur variaque bituminum genera. Ramuli flexiles instar lanæ villorum breviores in aeris compositionem subeunt. Hujus ponderi & elaterio ea tribues effecta, quæ ad metum vacui referebant veteres.

X I I I.

EX flexilibus ramis instar anguillarum lubricis concrevit aqua, quæ terræ globum circumfluens, suis undique ponderibus æquata libratur. Jam notum est cur ascendat in antliis sicut & in tubis capillaribus utrinque apertis, cur per alterum crus syphonis effluat. Imum mare falsius est summo; aqua marina fluviali pellucidior est, & difficilius glaciatur. Aqua & oleum in suas particulas attenuata sursùm nituntur varias subinde habitura formas. Inde vapores qui facto continuatoque intra terræ canales guttarum agmine coeunt in fontes, qui non minus à mari quàm à fluminibus oriuntur. Corpus quod ex vapore vel exhalatione constans in aere sentiri solet, dicitur meteorum: vapor igne rarescens fit ventus; si frigore densetur, fit nubes, quæ in aere nata vel descendit, vel pensilis videtur.

X I V.

DUM nubes particulatim descendit, inde nix, pluvia, & grando; dum omninò ruit, fiunt tempestas, fulgur, fulmen & tonitru. Si pensilis observetur, hinc parelia, coronæ, & cætera hujusmodi impressionum genera, luminis modificati foetus. Dum pingues halitus terræ seu violento motu, seu mutua permixtione accenduntur, multiplicis generis ignes observantur, quibus imposita sunt nomina rerum quas videntur referre; nempe ignis marinus, qui ab Ethnicis dicitur Castor & Pollux, Helena, ignis fatuus, ignis lambens. Dum prædicti ramuli terrestres ex angustioribus in patentiores terræ poros subeunt, horum permixtione formantur fossilia, quæ vel liquida sunt, vel dura, vel mollia: in horum investigatione potissimùm occupantur artis Chemicæ Professores. Optima ex iis proliciunt remedia: Cave tamen ne plus æquo lucri cupidus ea curiosius quàm par est scruteris.

X V.

EX prædictis ramulis certa lege dispositis formatum est corpus organicum continuatæ perennisque motionis particeps, quod vivens appellatur, duasque scinditur in species, plantam scilicet & animal. In plantis non secus ac in animalibus triplicis generis sunt partes, liquidæ, solidæ, & molles; hæ ex solidis & fluidis concrescunt, suntque radix, truncus, rami, folia, fructus & semina; in radice distinguuntur medulla, cortex, corpus ligneum, tracheæ. In trunco duplex ordo fibrarum, aliæ enim in fasciculos, collectæ in longum rectà porriguntur, aliæ ex transverso: ex harum dispositione deducitur succorum terrestrium circuitus, à quo habet planta ut germinet, crescat & alatur. Animal est corpus organicum vegetationis & sensus particeps, quod vel brutum est, vel homo.

E X P H Y S I C A.

X V I.

BRUTA obeunt functiones humanis persimiles; utilia sectantur, noxia declinant, finguntur ad omnigenos motus, artes ipsas addiscunt. Ne propterea belluis rationem tribuas: has motuum choreas à simplicissimis Mechanicæ legibus repetes. Humanum corpus Physici consideratione præsertim dignum est; evolutâ ejus compage manifesta est variarum functionum causa. Solidæ ejus partes ex fibrillis, hæ ex vesiculis oblonga & transversa serie textis compactæ conjiciuntur, dum hæ colliguntur in fasciculos, inde nervi & muscoli; si multum densentur, ossa fiunt & cartilagine; si telæ texantur in modum, tum fiunt membranæ quæ hic in canales, illic in conceptacula figurantur: solidæ moventur à liquidis, quæ vel humores sunt, vel spiritus.

X V I I.

EX solidarum & fluentium partium concentu vita corporea micat. Hæc à pulsu cordis incipit. Cor alternis vicibus jugiter dilatatum & constrictum sanguinem circuire cogit. Hujus itu & reditu multigenæ secernuntur partes, quarum aliæ suis incerniculis foras eliminantur tanquam inutiles, aliæ varios in usus distribuntur. Corpus intus alunt sanguine in fibrarum vesiculas effuso; hæ vel tantum materiæ suscipiunt quantum amittere unde manet idem status corporis, vel plus admittunt, & tunc augescit. Renixus vesicularum terminus est incrementi. His confidentibus macie conficitur corpus: diuturna non foret illa circuitio, nisi sanguinis latex jugiter instauraretur. Ur gente fame quæritur alimentum, quod dentibus attritum & saliva delibatum sorbetur, exquisitius in ventriculo subactum acido liquore affuso in intestina sensim exprimitur.

X V I I I.

CHILUS mixtura bilis & succi pancreatici attenuatus in venarum lactearum ostia percolatur; hinc multiplici vasorum flexu cordis ventriculos alluit. Et dextro cordis sinu interjectis pulmonibus illabatur in sinistrum, à quo in aortam qua valvulæ dant exitum eliditur. Aeris nitrosi allapsu purpureum rubet in sanguinem, qui per innumeros aortæ ramos propulsus ita cribratur intra cerebri glandulas, ut in spiritus mobilissimos faceat. Ab exlege sanguinis & spirituum motu; numerosa febrium cohors; hinc lethi necessitas, quod æquissimo tum oppetitur animo, cum vita occidens suis se virtutibus consolari potest.